

Albensis Ecclesie, Aule nostre vice Cancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini Millesimo ducentesimo sexagesimo septimo. Kalendis Martij, Regni autem nostri anno tricesimo secundo.

Ex transsumpto Originale membr. Rudolphi II. Regis anno 1595 exaratae, in Archivio Regni Croatiae Fasc. 984. N. 22.

LXIII.

Anno 1269. 12. Kal. Julii. Spalati.

Bela, totius Slavoniae Dux, in Regno Dalmatiae auctoritate regia plene usque adeo fungitur, ut in diplomatibus ab eo editis ne Regis quidem nomen memoretur.

In nomine domini aeterni amen. Incarnationis eiusdem Millesimo, ducentesimo sexagesimo nono. Indictione duodecima, die duodecimo Kalendas Julii. Temporibus Domini Belae inclyti Slavoniae Ducis et nostri Domini nati. Ven. Patris Domini Johannis Spalatensis Archiepiscopi, Comitis Nicolai egregiae potestatis. Praedictus dominus Johannes Archiepiscopus locum fratrum Ordinis Praedicatorum in horto Archiepiscopali positum..... Praedicatorum ipsorum ipsis Fratribus Praedicatoribus collatum, auctum esse prospiciens etc.

Farlati. Illyricum Sacrum T. III. p. 284.

LXIV.

Anno 1271. In Bihać.

Amica conventio, inter communitatem civitatis Bihać, nunc in Croatia Turcica sitae, et Conventum Toplicensem inita.

Nos Jacobus, major villae, et tota Comunitas Civitatis de Bihig, ad universorum notitiam volumus pervenire, quod nos cum Venerabili Patre Domino M. Venerabili Abbate de Toplica, de beneplacito suo, et Nostro communi consilio